

tam sincere obedivit; quanto magis nos Ecclesie praelatis mandata seria imponentibus obtemperare decet?

III. Virgo denique fuit, et quidem ex voto sanctissima; quod indicat illo verbo: *Secundum verbum tuum*; innuens se consentire quidem, ut Mater Dei fiat, reservata tamen sibi sua virginitate, sicut ei prädixerat angelus; quasi alias non consensus, ut sentit S. Bernardinus Sennen. ser. de concept. necnon S. Anselmus et S. Gregorius Nyssenus, loquendo de maternitate Dei præcise: præbarique ex eo potest, quod prius assensum non dederit, quàm ab angelo audiret: *Spiritus sanctus superveniet in te, etc.* Atque per hoc ipsum ita placuit Deo, ut ipsum virginitatis florem in virgineum uterum suum traheret. Unde Cant. VII. sponsus eam sic commendat: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Acervus tritici fecunditatem ejus indicat, qua panem cæli toti mundo conservavit, imo genuit. Vallum lilius est propositum ac votum virginitatis ejus firmissimum atque inexpugnabile: quod etiam ipsi angelo objecit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Pulchre autem per lilius virginitas designatur; tum quia candorem purissimum nulla macula aspersum habet; tum quia attractari renuit, alioquin mox nitorem ac vigorem suum perdit et flaccescit. Quam ob causam h. fr. Egidius per triplicem lilius exortum miraculosum eisdem fratri ord. Prædicat. demonstravit B. Virginem ante, in, et post partum exitisse virginitatem, ut alibi dixi.

Sine apparet quam grata sic Christo Domino castitas præsertim virginea. Unde et discimus, quanta corporis et animæ puritate præditi esse debeamus, cum ad Virginis Filium in eucharistia suscipiendum pergimus. Si enim noluit nasci, nisi a matre virginitati adstricta; imo nec educari, et attractari nisi a nutritio virgine, Josepho: quomodo obscænis aliquis excipere ipsum audeat? Quare olim præcepit Concilium Elibertinum, ut communicaturi conjuges tribus vel quatuor diebus prius a conjugali copula absterneant, ut habetur in. c. *Omnes*, de consecr. distinct. II. Quod etsi quidem jam non amplius obligat. omnino tamen omnibus adnitendum est conjugatis, ut sal-

tem præcedente nocte se contineant. Alioquin, ob irreverentiam, venialiter saltem peccabunt, et audient a S. Augustino, serm. CCXLIV. de tempor. et S. Hieron. in apol. contra Jovin. *Illorum conscientiam convenio, qui eodem die post coitum (intemperantiæ et voluptatis gratia factum) communicant.* Sane Dagon corruit, muliebre et spurcum idolum Veneris (uti sentit et colligit ex Herodoto et Rhodigino Serarius) in c. XVI. Judic. q. XXIII. Sanctius, in lib. Reg.), ubi arca Dei in templum ejus adducta fuit, ipsique Azotii sædo morbo correpti sunt, I. Reg. V. Videant etiam ii, qui arcam illam vivam, virgineam, incorruptibilem, Christum, in cor suum pollutum inferunt, ne et ipsi corrumpantur in mortem, aut morbos saltem, sicut in primitiva Ecclesia contigisse fatetur S. Paulus, I. Cor. XI. *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi.* Sic: *Hodie ait Sanctus Anselmus in eum locum, post pascha multi variis morbis corripuntur, quia indigne corpus Domini percipiunt.* Philisthæi postquam ex Dagonis ruina perspexerunt sanctitatem arcæ, aversantis Venerem omnemque immunditiam, remissuri eam ad Hebræos, fecerunt plaustrum novum, et duas vacas, quibus non fuit impositum jugum, plaustrum junxerunt, cui arcam imponentes domum remiserunt, I. Reg. VI. Sit ergo, ac multo magis, prima hæc communicaturis cura, ut cor suum innovent et ab omni inquinamento expurgent, juxta id Ezech. XVIII. *Facite vobis cor novum et spiritum novum, neque jungant se cum iis, qui jugum impuritatis trahunt.*

Vidimus qua ratione B. Virgo ceperit quodammodo et in sinum suum de cælo detraxerit Dei Filium, ut in ejus uterum sese dimitteret, adeoque homo fieret. Videamus et nos, quomodo eundem attrahamus ad nos, ut cum gaudio et amore in sinum nostrum descendat. Notum ex hist. Caroli M. quomodo Witikindus Saxonum dux Cæsaris castris viderit Christum puerili specie ad quosdam communicantes cum gaudio et risu, ad alios cum tædio et reluctatione intrare, eaque visione ad fidem conversus sit. Ergo ut ad nos etiam hilaris et arridens unicornis hic descendat, sedeamus in terra per humilitatem, expandamus sinum per obedientiam, sinus casti et impolluti.

IN FESTO S. GEORGII

EVANGELIUM. JOANN. XV.

Ego sum vitis vera, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructura multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme et arecet, et colligent eum, et in ignem mittent et ardet. Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et efficiamini discipuli. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego præcepta Patris mei servavi, et maneo in ejus dilectione. Hæc locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur.

CONCIONES.

- I. Quomodo Christus vitis.
- II. Quam sit periculosum relabi in peccatum.
- III. Quæ damna consequantur relapsos seu recidivos.
- IV. Cur voluerit Christus Ecclesiam suam martyrum sanguine rigare.
- V. Martyres spirituales qui?
- VI. Martyres diaboli.
- VII. Documenta evangelii.
- VIII. Mysteria.

CONCIONES AUCTARII.

- I. Quos dracones necavit S. Georgius.
- II. Contra relapsum strenue pugnandum.
- III. Agricolas per patientiam feri posse equites S. Georgii.
- IV. Quædam agrorum præscripta, seu regulæ.

CONCIO I.

QUOMODO CHRISTUS VITIS.

I. Natura. — II. Palmitibus. — III. Fructu. — IV. Cultura.

THEMA.

Ego sum vitis vera. Joan. XV.

Inter alias quæstiones Christo a Pilato propositas, una sane permagni momenti fuit, tametsi responsionem Christi Pilatus non expectavit, Dum enim dixisset Christus se ad hoc venisse in mundum, ut testimonium perhiberet veritati, quæsit Pilatus: *Quid est veritas?* Joan. XVIII. Sed continuo exiit foras, et responsum non expectavit. Nimirum filii hujus sæculi, qui diligunt vanitatem et quærunt mendacium, ægrè audiunt: Quid sit veritas. Expectasset paulum Pilatus: et tunc utique audivisset, mundi regna non esse vera et solida regna, sed inania et fucata: divi-

tias hujus sæculi non esse veras divitias: libertatem carnis non esse veram libertatem: captivitatem carnis non esse veram captivitatem: et universim corporalia et terrena sive bona sive mala, non esse vera bona seu mala, sola vero spiritualia bona, vera bona esse; sola spiritualia mala, vera esse mala. Hoc sensu dicit Dominus, se vitem esse veram, vitem scilicet spiritualementem, cujus respectu, vitis materialis non est vera vitis. Ista enim fructum parit, qui carnem tantum fovet; Christus vero vinum, quod animam vivificat, sustentat et beatificat: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam*, ait Dominus, Joan. VI. cum de hoc vino sermocinaretur Christus: ergo vitis vera est, quia quæ fiunt circa vitem corporaliter, ea fiunt circa Christum spiritualiter, uti docet S. Bern. in tractatu de passione, super hæc verba, cujus vestigia hic sequemur.

I. Christus est vera vitis, primo, si consideremus ipsius vitis naturam: nam primo, plantari solet vitis in terra, non seminari, translata de

sua vite, ita Christus Deus de Deo, Filius de Patre, coæternus et consubstantialis est, de quo genitus est. Sed ut majorem faceret fructum, plantatus est, in terra, id est, in Virgine Maria conceptus. « Hæc est terra, inquit S. Bernard. in tractatu de passione Domini, de quo scriptum est: Terram non operabitur quisquam, sed irrigabitur a fonte ascendente de paradiso, Gen. II. Terra quippe hæc non accepit operationem humanam ut conciperetur in ea Filius Dei, sed aqua Spiritus sancti irrigata fuit. Ita enim legis: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: rursus de hac terra scriptum est: Aperiatur terra et germinabit Salvatore, Isa. XLV. Aperta quippe fuit per fidem, credens et obediens angelo, germinavitque vitam salutarem, Salvatorem nostrum æternæ vitæ præmia largientem. » Hæc Bern. Adde. Aperta fuit (licet porta semper clausa fuerit) quia aperuit et attulit nobis vernum tempus, cum prius velut hiemali frigore omnia concreta essent.

Secundo: « Lignum vitis aliis arborum lignis deformius invenitur et quasi penitus inutile videtur et abjectum, nec ipso aspectu amabile, aut usui accommodatum, » inquit S. Bern. ubi supra, c. V. Ita et Christus, de quo Isaias ait, cap. LIII. *Ascendat sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi: non est species ei, neque decor, ut videmus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum* (id est, non desideravimus) *despectum et novissimum virorum*, quasi dicat: Sicut virgultum natum in loco arido squallet, non habet speciem nec decorem, sic Christus natus in Nazareth (de qua dicunt Judæi: *A Nazareth potest aliquid boni esse?*) de virgine paupere vixit humilis, ignobilis, despectus, unde et fabri filius dictus. Et multo magis in passione, ubi flagellis livore et vulneribus fuit deformatus, ac sicut vitis pene omni cortice, ita ipse pene omni cute, omnique veste nudatus fuit. Nimirum tunc se gallinam illam exhibuit, quæ propter pullos generandos toto corpore hispida, voce rauca, toto fervens animo et omnibus membris infirma facta est. Verum talis in hieme mortalitatis suæ fuit: cæterum post resurrectionem longe alius. Ut enim vitis quæ in hieme velut mortua et arida jacet, in æstate se explicat, et pulcherrimis uvivestitur, suoque decore alias arbores superat: ita Christus post resurrectionem, immortalitatis vestem induit, et pulcherrimis botris, id est, dotibus gloriosis vestitus fuit. Ibi botrus claritatis, botrus impassibilitatis, botrus subtilitatis, botrus agilitatis, aliæque dotes animi.

Tertio: *Non est ligno ulli æternior natura, in-*

quit Plinius, lib. XIV. cap. I. *quam viti*: ita præ omnibus doctoribus et legislatoribus nemo æternior Christo. Cæteri perierunt, præsertim hæresiarchæ: *Jesus Christus autem heri et hodie, ipse et in sæcula*, inquit apostolus ad Hebr. XIII. Unde et subdit: *Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci*, quasi dicat: Qui varia peregrinaque docent, peribunt; sed non ita Christus. Memorat dicto loco Plinius ad hujus rei probationem, Metaponti templum Junonis vitigineis columnis stetisse, et tectum Ephesiæ Dianæ etiam nunc scandi vitæ una Cypria. Talis item Christus, in quo fundata Ecclesia stetit firma usque nunc, stabitque in posterum. Hanc scalam etiamnum scandimus ad templum gloriæ.

II. Si consideremus ejus palmites. Nam primo, sicut palme extra vitem nihil potest fructificare, quia nec succum extrahere: ita sine Christo ejusque gratiæ succo nihil possumus facere, quod mereatur vitam æternam: nihil sine peculiari ejus auxilio, quod conducatur ad salutem. Quantum igitur connitendum, ut semper in Dei gratia perseveremus? Qui vera fide caret, a vite hæc prorsus abscissus et alienus est: qui fidem habens extra statum gratiæ est, viti quidem inhæret, sed velut palme aridus, qui nihil a vite trahit, ideoque tandem a vitatore excidetur, ni reviscat.

Secundo, sicut vitis totum succum dat palmitibus, nihil vero ab illis accipit: ita Christus totum nobis dedit, nihil vero a nobis accepit. Dedit primo, totum doctrinæ succum: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*, Joan. XV. secundo, totum sanguinis sui pretium, vitam, et quidquid habuit: tertio, omnes suas virtutes et opera. Palmites a vite accipiunt folia, flores, fructus, virorem: sic nos a Christo doctrinam, virtutes, merita et gratiam. A nobis nihil recipit: sive enim oramus nobis oramus: sive jejunamus, nobis jejunamus: sive eleemosynam damus, nobis damus. Nobis serimus, nobis metimus.

Tertio, sicut latissime se pandunt vites, et alibi totas villas, domos ambiunt, ad hæc nullo fine crescunt ut scribit Plin. loco citato: ita Christus in suis membris per totum mundum se expandit, eumque ambit, juxta id Psal. LXXI. *Dominabitur a meridie usque ad mare, etc.* Ad hæc nullo fine crescit, quia semper ulterius propagabitur Christi evangelium et regnum usque ad mundi finem.

Cæterum sicut vitis a contrariis sibi plantis, brassica, raphano, etc. auctore Plinio, lib. XVII. c. XXIV. palmites suos avertit: ita Christus servos et prædicatores suos a populis et civitatibus

impiiis, et carni servientibus abstrahit, et ad externas nationes dirigit: uti factum cum Germaniæ partibus quibusdam, Anglia, etc. a quibus evangelii sui præcones avocavit, et in orbem novum misit. Mandavit Christus suis discipulis ut si qua domus aut civitas eos non reciperet, excusso pedum pulvere discederent: ita actum cum aquilonaribus. Abiere Christi servi; remansit in illis pulvis et fæx.

III. Si consideremus ejus fructum. Nam primo, nulla arbor vite feracior, si ejus tenuitatem spectes, adeoque pronæ est ad fecunditatem: *Ut parere malit quam vivere*, inquit Plinius, l. XVII. c. XXII. Unde quidquid per mutationem illi admittitur, fructi accedit: ita Christus maluit parere nos spiritualiter, quam vivere. Hinc enim coram præsidibus contra falsos accusatores non se defendit, sed tacuit: hinc gladium Petri inhibuit: hinc de cruce jussus descendere, noluit; sed pati et putari quodammodo adeoque mori voluit, ut nos pareret, quia non peperisset, nisi mortuus fuisset.

Secundo, sicut vitis præ cæteris plantis pretiosissimum gignit liquorem, vinum scilicet: *quod lætificat Deum et homines*, Jud. IX. ita Christus effudit pretiosissimum sanguinem, cujus unica gutta suffecisset ad redimendos infinitos mundos; quo pretiosissimo liquore emit et redemit totum mundum unaque lætificavit Deum et homines: Deum, quia Deus non vult mortem nostram, sed ut vivamus. Hinc in cælo festum diem instituit cum angelis suis ob recuperatam ovem perditam, ob reversionem filii prodigi. Lætificavit homines; quomodo enim non gauderent, qui de supplicio æternæ mortis erepti cælo sunt inserti? In hoc vino lavamur, quoties volumus, a sordibus et peccatis nostris, hoc vino inebriamur, etc. in sanctis sacramentis.

Tertio, vitis aquam vertit in vinum; ita fecit Christus: vitis uvivestitur suis cibatur homines et potat; ita caro Christi cibus est et potus: botrum qui edit, idem simul bibit; ita qui corpus Christi sub panis specie edit, idem est ac si id ipsum sub specie vini bibat: vitis aquam bibit, sed nobis propinat vinum; ita fecit Christus. Ipse aquam, fel et acetum bibit, omnisque generis dolores exhausit, nobis vero sacramenta protulit et propinavit, suavia salutaria: post hæc gratiam et gloriam sempiternam.

IV. Si consideremus ejus culturam. Nam primo, vitis præciditur: ita Christus præcisus fuit, primo, corporaliter in circumcisione statim pro nobis effundendo sanguinem et lacrymas, quemadmodum et vitis præcisus lacrymari solet: deinde, in passione sua quoties incisus fuit.

Secundo, figurate, in decursu vitæ, dum seipsum: *Excinavit formam servi accipiens, etc.* Phil. II. Amputata enim quodammodo a se gloria subjectus est ignominia: amputata potentia subjectus est infirmitati: amputata sapientia, factus est quasi insipiens: amputata rerum omnium possessione, factus est pauperrimus: amputata omni voluptate, et ipsa demum beatitudinis dulcedine (quantum ad inferiorem animæ partem attinet) subjectus est doloribus acerrimis: amputatis denique in passione omnibus amicis, et ab ipso adeo Patre in cruce derelictus, torcular calcavit solus.

Tertio, in morte quando: *Abscissus est de terra viventium*, Isaiæ LIII. Sed quemadmodum vitis præcisus plus germinat, ita Christus moriendo pater factus est omnium gentium. Id indicavit Isaias quando dixit, cap. LIII. *Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium?* En causam tantæ sobolis.

Secundo, vitis circumfoditur: ita Christus. Nam primo, Judæi foderunt circa ipsum, quando captiosis interrogationibus eum tentaverunt, uti de condemnatione adulteræ et de tributo Cæsari dando; sed ita ut ipsi confunderentur, Christo nihil nocerent. Unde potuit Christus dicere: *Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam*, Psalm. LVI. Quia ergo sic nihil profecerunt, foderunt secundo manus et pedes ejus, ipsumque latus lancea perforarunt, quod jam ante perforatum et vulneratum erat amoris lancea a sponsa, Cant. IV. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa.*

Tertio, vitis alligatur ad palum. Sic Christus alligatus fuit primo, ad uterum Virginis: secundo, ad præsepium: tertio, ad columnam cum flagellaretur: quarto, ad crucem. Atque ad hæc alligatus fuit vinculis charitatis qua amavit nos. Videte nunc Christiani, annon æquissimum sit, ut et ipsi alligemus nos ad præcepta Dei adeoque ipsi Christo? De ipso enim dicitur, Gen. XLIX. quod ligaturus sit asinam ad vitem, id est, mundum ad seipsum.

Porro si Christo alligari et in ipso manere volumus, mandata ejus servemus; ait enim Dominus in fine evangelii hujus: *Si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.*

CONCIO II.

QUAM SIT PERICULOSUM RELABI IN PECCATUM.

I. Propter temeritatem. — II. Propter ingratitudinem.
— III. Propter insipientiam. — IV. Propter vilitatem.
— V. Propter offensionem Dei.

THEMA.

Manete in me, et ego in vobis. Joan. XV.

Præcepit olim Deus per Ezechielem, cap. XLVIII. ut populus templum ingrediens, non reverteretur per eandem viam et portam, per quam est ingressus, sed e regione illius per aliam portam egrederetur. Ratio hujus præcepti videtur fuisse, quia non decebat, ut quis propitiatorio terga verteret, quod faciendum erat, si per eandem portam quis egrederetur. Spirituali sensu nobis hoc indicat, ne postquam ad Deum semel accessimus eique reconciliati sumus, postmodum terga vertamus ab eodem recedendo ad pristina peccata, unde digressi sumus: siquidem omne peccatum est aversio a Deo, et conversio ad creaturam. Non ita pridem omnes nos ingressi sumus templum Domini, et accessimus ad propitiationem Dei, per confessionem et communionem. Cavendum ergo imprimis, ne egrediamur ad viam prioris nostræ conversationis, unde ingressi sumus, adeoque ne tergum Domino Deo iterum vertamus. Licet quidem nobis egredi ad negotia nostra etiam sæcularia; sed per aliam portam: ita videlicet, ut ne dorsum Deo vertamus, ipsaque offendamus. Hoc est, quod hodierno in evangelio commendat nobis Dominus, cum ait: *Manete in me, et ego in vobis.* Cæterum ut in Christo maneamus, et retrorsum non eamus, multa sunt quæ nos movent.

I. Relapsus continet primo, ingentem prodigalitem et temeritatem, quia unico actu destruit et perdit totum pœnitentiæ laborem. Cogitet quisque quantopere secum ipse pugnarit, donec peccata sua in memoriam revocant, per confusionem manifestarit; donec dolorem super illis et propositum emendationis conceperit; donec alia pœnitentiæ et satisfactionis opera peregerit. Et hos tamen labores omnes destruit relapsus: *Contigit enim eis,* inquit S. Petrus, II. Pet. II. *illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum et sus lota in volutabro luti.* Ut enim canis æger, quo sibi medeatur, vim infert propriæ naturæ, comedendo gramen, unde vomitum provocet, interim vero dum ad vomitum revertitur, totum id resorbet, quod violenter expulit. Similiter sus multa coactione et verberibus in aquam impulsa ad lotionem, si mox iterum in lutum se

projiciat, totum lotionis laborem perdit: sic ad unguem homo, qui post peractam pœnitentiam (in qua peccata difficulter evomuit, et sanguine Christi lotus est, necnon multis adhortationibus ad eam impulsus) revertitur ad peccata. Non exigua nec ferenda est prodigalitas et temeritas militum quorundam, qui vix acceptum unius aut plurimum mensium stipendium, uno alexæ jactu perdunt: uti nec illorum operariorum, qui mercedem totius hebdomadis aut mensis una ingurgitatione perdunt. Sed magis gravior est illa, quæ totius pœnitentiæ fructum uno relapsu perdit. Referunt Guil. Paris. et Medina alique, Albertum Magnum construxisse aliquando caput hominis æneum, tanto artificio, ut articulate loqui videretur. Quod cum vidisset audissetque discipulus ejus Thom. de Aquino, ratus subesse aliquid magici, arrepto malleo contregit. Id audiens Albertus, indoluisse et dixisse fertur: *Proh! quid fecisti? Opus multorum annorum perdidisti.* Quanto labore sudatur, ut ex peccatore fiat vir justus? Et hunc tamen omnem laborem perdidit unicum peccatum.

Deinde, perdit totum id, quoque per pœnitentiam acquisivit, gratiam scilicet, virtutes, ac merita, idemque illi contingit, quod militibus Caroli Magni, qui cum Aigolandi Saraceni exercitum centum millium fudisset, quidam milites christiani gazarum cupidi mortuorum, nocte illa retroierunt, Carolo ignorante in campum prælii, in quo mortui jacebant, et auro argenteoque atque diversis gazis onusti redire cœperunt. Illico Altmajor Cordubæ qui erat absconditus inter montes cum aliis Saracenis qui de prælio fugerant, peremit illos omnes usque ad unum, millenos circiter. Ut refert, Joan. Turpinus episcopus Remensis in vita Caroli Magni, cap. XIV. Sic postquam per pœnitentiam peccata delevimus, si ad eadem postea revertamur, delectationis vel lucri gratia, totum, quod lucrati fuimus, perdimus, mortem insuper animæ (quod longe gravissimum est) incurrimus.

II. Continet maximam ingratitudinem, ob peccata paulo ante dimissa: illud enim beneficium quodammodo retractat. Unde Chrysostom. sermone de lapsu primi hominis ait: « Indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat, sanitate indignus est, qui seipsum postquam curatus est, vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat: » et paulo infra: « Servo pejor est, qui patronum post datam libertatem offendit. » Sic ille. Certe servus ille, qui condonato sibi debito a domino egressus statim contraxit novum, tenendo et suffocando conservum, retractus et in carcerem missus est, cum gravi

illa exprobatione: *Serve nequam omne debitum dimisi tibi, etc.* Qua in re verum quidem, peccata remissa secundum se non redire per sequentem transgressionem (siquidem. *Sine pœnitentiâ sunt dona Dei,* teste apostolo ad Rom. XI.) computantur tamen aliquo modo, quia efficiunt ut peccatum post remissionem commissum gravius sit, et severius puniatur. Velut cum ludimoderator puero indulget semel iterumque aliquod erratum, sed idem repetentem acrius dein punit. Interrogat seipsum quilibet, annon id ipsum facere soleat cum servis et subditis suis: ut nimirum acrius excandescat et seviet in delinquentem, quo sæpius deliquit servus? Et videbit id ipsum jure Deum facere posse ac debere cum relapsis: atque ita ex ore suo seipsum judicabit. Et quis quæso hominum toleraret eadem peccata, toties liberaliter remissa, toties in se repeti? Unde tandem qui toties recidit, venia indignus est: siquidem Jerem. XV. ait Dominus: *Quis miserebitur tui Jerusalem? Aut quis contristabitur pro te? Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua.* Quia scilicet talis omnium fidem fallit, Dei et hominum, ideo nullus etiam sanctorum pro tali spondere audeat: *Tu reliquisti me dicit Dominus, retrorsum abiisti: et extendam manum meam super te et interficiam te.* Patet hoc pluribus S. Scripturæ exemplis. David ob adulterium punitus fuit morte unius filii. Relapsus deinde, quamvis ad minus peccatum, superbiæ scilicet in numeratione populi commissæ, peste multorum millium, II. Reg. XII. et XXIV. Sic Achab ob injuriam Naboth illatam, veniam consecutus est, sed ubi deinde Michæam incarcerationavit, occisus in bello est, III. Reg. XXI. et XXII. Unde Dominus monet paralyticum sanatum: *Vade, et amplius noli peccare, ne deterior aliquid tibi contingat.*

III. Continet maximam insipientiam, siquidem bestię, pisces et aves in easdem pedicas non redeunt. Audi S. Chrysostomum, homilia XV. ad populum Antiochenum: *Avicula,* inquit, *semel capta laqueo mox elapsa, et cervus in rete decidens et effugiens, iisdem iterum difficile capiuntur. Num cuique fit experientia cautelæ magistra. Nos sæpius iisdem capti in eadem cadimus.* Sic ille. Quin etiam ut refert Clemens Alexandrinus, l. 1. Strom. aliqui pisces sunt, uti scauri, e quorum specie si laqueo captus, rupto illo forte evadat, eo die nullus prorsus ejus generis piscis illo loco invenitur: quasi cæteri unius periculo edocti sibi caveant. Quarto magis homines cavere sibi debent, proprio edocti periculo, ne in eadem peccata recidant? An nescimus per peccatum incidere hominem in laqueum diaboli, imo ingredi quodammodo diabolium in hominem? Et quis insi-

pietissimus, semel expulsus tam nefarium hostem iterum recipiat? Spiritus ille nequam, qui cæcum, surdum et mutum reddidit hominem, Luc. XI. expulsus ab illo, ait equidem: *Revertar in domum meam.* Sed quis hospitem hunc recipiat? Cogita tecum ipse, quid molestiæ tibi attulerint peccata tua, antequam ea per confessionem ejiceres: quantum timoris, et inquietudinis ex remorsu conscientiæ senseris. Deinde, si forte parum aut nihil sensisti, nosse tamen debes quod ait ipsa veritas Christus: *Quia omnis, qui facit peccatum, servus est peccati.* Itaque invisibili quodam compede ligatus es in statu peccati et diaboli sis mancipium. Quis autem a servitute Turcæ fugiens, non maxime sibi cavet ne deprehensus retrahatur, annon devia loca quærit? Annon currit? Annon de die latitat, et de nocte fugit? Id ipsum ergo faceremus absque dubio, si bene cognosceremus quid sit esse servum peccati.

Deinde, quia vita nostra brevis et incerta est, non est tempus retrocedendi, sed ad anteriora se extendendi. Unde Dominus, Luc. IX. ait: *Nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Annon fatuus esset, qui, dum hostem fugientem insequitur, modo regredi vellet, modo progredi? Quid enim ait Dominus, Luc. IX. de obsidionis Jerosolymitanæ tempore? *Qui fuerit in tecto,* inquit *et vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa, et qui in agro, similiter non redeat retro.* Memores estote uxoris Loth. Vult dicere, non esse retrogrediendum tempore quo est fugiendum, quia periculum est, ne subito præoccupati ira Dei, fugere per pœnitentiam nequeamus: quemadmodum uxor Loth respiciens, subito in statuam salis versa est. *Quæ uxor Loth,* inquit S. Prosper, de promissionibus et prædicationibus, p. I. cap. XVI. *præcepta contemnens retroque respiciens statuam salis effecta, suo exemplo fatuus condivit, in proposito sancto quo tendant, noxia curiositate retro non respicere.* Sic Prosper. Noli ergo dicere vel cogitare agam iterum pœnitentiam: quia forte morte præoccupatus mutaberis repente in statuam, id est, cadaver.

IV. Continet maximam utilitatem, teste Jerem. c. II. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas.* Signum enim levis, inanis et muliebris animi est facile relabi in pristina peccata: cujusmodi homines arundini vento agitata comparantur a Christo: quia scilicet firmitate propositi carent: et vacui sunt virtutibus, quarum adminiculo cavere peccata possent: et idcirco ab omni tentationum vento circumferuntur, et prosternuntur. Pro dedecore habetur apud homines, cum quis inconstans ostenditur manentis inversione et rever-